Quomodo autem uas fictile & testeum si fractum fuerit. in anti
quam speciem non potest reformari: sic & populus iudaeorum
& hierusalem subuersa. statum pristinum non habebunt. Denique
cassum nomen est ipsius hodie ciuitatis & ab elio adriano aelia
dicitur. & cum habitatione pristina pristinum quoque nomen
amisit. ad decutiendam superbiam habitatorum eius; Sce autem
crucis & resurrectionis uocabula non urbem significant sed lo
cum; Nec diuitiarum quondam magnitudinem: per quam
perit populus iudaeorum. sed gloriam scitatis quam nostra
paupercula possidet bethleem. non habens aurum & gem
mas sed panem qui in ea natus est; Et in thofeth sepe
lientur uel sepelient. eo quod non sit alius locus ad sepelien
dum; Sic faciam loco huic ait dns & habitatoribus eius.
ut ponam ciuitatem istam sicut thofeth. siue in ruinam;
& erunt domus hierusalem & domus regum iuda. sicut
locus thofeth siue ruinae; Quod autem in lxx infertur
omnis domus regum iuda sicut locus thofeth. in hebraico
non habetur; & sequitur. immundae omnes domus in
quarum domatibus siue tectis. sacrificauerunt omni militiae
caeli. & libauerunt libamina diis alienis;
Quod supra dixerat non uocabitur locus iste amplius
thofeth & uallis filius ennom: sed uallis occisionis.
Nunc ponit manifestius. quod tanta in ipso loco futura
sit caedes. ut ibi aceruatim populus sepeliatur;

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc417/0190